

lustrate mentem meam plenitudine scientiae, ut summam vilitatem meam, huiusque sacrificii infinitam excellentiam agnoscam.

Supremi spiritus Seraphim, ardentissimi amatores Dei, solvite gelu cordis mei, et vestrum in eo ignem succendite, ut Deum vobiscum ardentem amem, atque utinam sicut vos.

6. *Invocatio omnium Sanctorum.* Sancti Dei omnes, cives supernae patriae, inclinate aures vestras, et dimitte lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus, et infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum; ad vos clamo, et vestram imploro benignitatem: succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate me donis quibus abundatis; ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae maiestatis.

Sancti Patriarchae et Prophetae, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, et ardentissimis desideriis è coelo ad terram traxistis, huiusque Sacramenti mysteria variis typis et umbris praefigurastis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sanctè tractare possim, et puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima coena Novi Testamenti sacerdotes creavit, ac primùm seipso cibavit, vos supplex exoro, ut, vestrà adiutus ope, gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo regi pro nobis crucifixo vicem quam potuistis, vitae oblatione, per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus et purificatus, meipsum mactem Deo hostiam vivam et ei placentem; sicque paratus et probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices et Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis, pro me, obsecro, intercedite,

ut meum quod oblaturus sum sacrificium Deo sit acceptabile, mihi que et omnibus pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi et Eremitae, qui cibo potuque coelesti saepius refecti, pravas concupiscentias et vitae huius pericula superastis, adiuvate me orationibus vestris, ut, sacris hisce mysteriis armatus, meipsum vincam, et omnes inimicos animae meae conteram sub pedibus meis.

Sanctae Virgines Deo amabiles, quae studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum praeparastis, et nunc in coelo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit virginitatis praerogativa eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, quae corpus et animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N. N., et vos sancti N. N., quorum hodie memoriam veneramus, vestro confisus patrocinio, accedo nunc ad immolandum corpus et sanguinem Iesu Christi Domini nostri; comitami me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium vivà fide, ferventi caritate, et plenà devotione perficiam, perque eius continuum et saluiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

PII AFFECTUS ANTE MISSAM

ex lib. IV de Imitatione Christi.

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, dicit Dominus. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Accipite et comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.

1. Haec sunt verba tua, Christe, veritas aeterna. Quia ergo tua sunt, gratanter mihi et fideliter sunt accipien-

da... Excitant me verba tantae pietatis, plena dulcedinis et dilectionis; sed terrent me delicta propria; et ad capiendam tanta mysteria me reverberat impura conscientia. Iubes ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem, et immortalitatis accipiam alimoniam, si aeternam cupiam obtinere vitam et gloriam. *Venite*, inquis, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* O dulce et amicabile verbum in aure peccatoris, quo tu, Domine, Deus meus, egenum et pauperem invitas ad communionem tui sanctissimi corporis! Sed quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Ecce coeli coelorum te non capiunt, et tu dicis: *Venite ad me omnes.* Quid sibi vult ista piissima dignatio, et tam amicabile invitatio? Quomodo ausus ero venire, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam? Reverentur Angeli et Archangeli, metuunt Sancti et iusti; et tu dicis: *Venite ad me omnes.* Nam nisi tu, Domine, diceres, quis verum esse crederet? et nisi tu iube-res, quis accedere tentaret?... Gratias tibi, Iesu bone, Pastor aeternae, qui nos pauperes et exules dignatus es corpore et sanguine tuo reficere, et ad haec mysteria percipienda etiam proprii oris tui eloquio invitare, dicendo: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* (Lib. IV, c. 1).

2. Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad dominum, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Tu nôsti serum tuum, et scis quia nil boni in se habet, unde hoc illi praestes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, et gratiam ago propter nimiam caritatem. Propter temetipsum enim hoc facis, non propter mea merita; ut bonitas tua mihi magis innotescat, caritas amplior ingeratur, et humilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, et tu sic fieri iussisti, placet et mihi dignatio tua; et utinam ini-

quitas mea non obsistat!... Ecce in te est totum quod desiderare possum et debeo; in te salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria: *laetifica* ergo hodie *animam famuli tui: quoniam ad te*, Domine Iesu, *animam meam levavi.* Desidero te nunc devotè ac reverenter suscipere, cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachaeo merear à te benedici, ac inter filios Abrahae computari. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te, nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo. (*Cap. 2 et 3*).

3. O felix mens et beata anima, quae te Dominum suum meretur devotè suscipere, et in tua susceptione spirituali gaudio repleti! O quàm magnum suscipit Dominum! quàm dilectum inducit hospitem! quàm iucundum recipit socium! quàm fidelem acceptat amicum! quàm speciosum et nobilem amplectitur sponsum, prae omnibus dilectis et super omnia desiderabilia amandum! Sileant à facie tua, dulcissime dilecte mi, coelum et terra, et omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent et decoris ex dignatione tuae est largitatis, nec ad decorem tui pervenient nominis, cuius sapientiae non est numerus... Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua, ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. Sed ubi est haec devotio? ubi lacrymarum sanctarum copiosa effusio? Certè in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere; habeo enim te in Sacramento verè praesentem, quamvis alienà specie occultatum. (*Cap. 3 et 11*).

4. Quando recordor devotorum aliorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione et affectu accedentium, tunc saepius in me ipso confundor, et erubesco quòd ad altare tuum et sacrae communionis mensam, tam tepidè et frigidè accedo; quòd ita aridus sine devotione et affectione cordis maneo, quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus, et illectus, sicut multi devoti fuerunt, qui praenimio desiderio communionis, et sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt abstinere; sed ore cordis

et corporis ad te, Deum, fontem vivum, medullitus inhiabant, suam esuriam non valentes temperare nec satiare, nisi corpus tuum cum omni iucunditate et spiritali aviditate accepissent. O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae! isti enim veraciter cognoscunt Dominum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis, de Iesu ambulante cum eis. Longè est à me saepe talis affectus et devotio, tam vehemens amoret ardor. Esto mihi propitius, Iesu bone, dulcis et benigne; et concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate proficiat; et caritas semel perfectè accensa et coelestis manna experta nunquam deficiat. Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi praestare, et in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui advenerit, me clementissimè visitare. Etenim licèt tanto desiderio tam spiritualium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magni inflammati desiderii desiderium habeo, orans et desiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari. (Cap. 14).

5. Et licèt indignus sum omnes illos devotionis sensus habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed et quaecumque potest mens pia concipere et desiderare, haec omnia tibi cum summa veneratione ac intimo fervore praebeo et offero. Nihil opto mihi reservare, sed me et omnia mea tibi sponte et libentissimè immolare. Domine Deus meus, Creator meus et Redemptor meus, cum tali affectu, reverentia, laude et honore; cum tali gratitudine, dignitate et amore; cum tali fide, spe et puritate, te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua, gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium humiliter ac devotè respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum...* Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae lau-

dationis et immensae benedictionis, quae tibi, secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae, iure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes, omnes coelestes spiritus et cunctos fideles tuos precibus et affectibus invito et exoro. (Cap. 17).

6. O dulcissime atque amantissime Domine! quem nunc devotè desidero suscipere; tu scis infirmitatem meam et necessitatem quam patior; in quantis malis et vitiis iaceo; quàm saepe sum gravatus, tentatus, turbatus et inquinatus. Pro remedio ad te venio; pro consolatione et levamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, et qui solus potes me perfectè consolari et adjuvare. Tu scis quibus bonis indigeo prae omnibus, et quàm pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum, et ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas usque in coelum; quia tu solus cibus et potus meus, amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et totum bonum meum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas et in te transmutes; ut unus tecum efficiar spiritus, per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris! Ne patiaris me ieiunium et aridum à te recedere; sed operare mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te arderem, et in me ipso deficerem; cum tu sis ignis semper ardens et nunquam deficiens, amor corda purificans et intellectum illuminans? (Cap. 16).